Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Deus populum Israel increpans ait: Dilexi vos
dicit Dominus. Et dixistis: In quo dilexisti nos?
Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus,
et dilexi Iacob, Esau autem odio habui. E-
sau autem fratrem Iacob non quia aut sponta-
nea voluntate odio habitum Deo vel
sine merito gratia Iacob dilectum manifestum est,
sed cum secundum praescientiam Dei Esau quidem
effusione sanguinis fratrem concupisce-
re, Iacob autem ob sui cognitionem observan-
dam legem desiderare cognosceret. Cui
regula superdicto usus exemplo est di-
cens: Dilexi Iacob, Esau autem odio habui.
Quorum ex operibus memoratorum quorum
liber Geneseos meminit, in quo manifeste
conscitur erat proposito manifeste ostenditur
ut supra scriptum est: Creverunt pueri et erat
Esau homo agrestis sciens venari, Ia-
cob autem homo simplex manens in taberna-
culo. Nam reliqua quae lectione compre-
hensa sunt praevaricationem populi Israel
in observandis sacrificiis Dei incre-
pationem quae in eundem quod deos alienos
coluerint significant. Incipit Ma-
lachias propheta.

Onus verbi
Domini ad Is-
rael in manu
Malachiae.
Dilexi vos
dicit Dominus.
Et dixistis:
In quo di-
lexisti nos? Nonne frater erat Esau Ia-
cob, dicit Dominus, et dilexi Iacob, Esau autem
odio habui, et posui montes eius in
solitudinem et hereditatem eius in draco-
nes deserti. Quod si dixerit Idumea:
Destructi sumus, sed revertentes aedifi-
cabimus quae destructa sunt: haec dicit Dominus
exercituum: Isti aedificabunt et ego destruam,
et vocabuntur termini impietatis, et popu-
lus cui iratus est Dominus usque in aeternum. Et ocu-
li vestri videbunt, et vos vos videntes dice-
tis: Magnificetur Dominus super terminum Israel.
Filius honorat patrem, et servus dominum
suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?
et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit
Dominus exercituum. Ad vos o sacerdotes qui de-
spicitis nomen meum. Et dixistis: In quo
despeximus nomen tuum? Offertis super alta-
re meum panem pollutum, et dicitis: In
quo polluimus te? In eo quod dicitis:
Mensa Domini despecta est. Si offeratis cae-
cum ad immolandum, nonne malum est? Et
si offeratis claudum et languidum, non-
ne malum est? Offer illud duci tuo,
si placuerit ei, aut si susceperit faciem
tuam, dicit Dominus exercituum. Et nunc depre-
camini vultum Domini ut misereatur vestri: de
manu enim vestra factum est hoc: si quomodo suscipi-
at facies vestras, dicit Dominus exercituum. Quis
est in vobis qui claudat ostia et incen-
dat altare meum gratuito? Non est mihi
voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et
munus non suscipiam de manu vestra. Ab
ortu enim solis usque ad occasum magnum
est nomen meum in gentibus, et in omni loco
sacrificatur et offertur nomini meo oblatio
munda, quia magnum est nomen meum in gen-
tibus, dicit Dominus exercituum. Et vos pollu-
istis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini
contaminata est, et quod superponitur contempti-
bile est cum igne qui illud devorat.
Et dixistis: Ecce de labore. Et exsuffla-
stis illud, dicit Dominus exercituum. Et intu-
listis de rapinis claudum et languidum, et
intulistis munus. Numquid suscipiam illud